



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 73. Augusta Vindellicorum a Fœderatis obsessa, captaque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

rogarunt, ingenti pecuniarum summa Sæcul. XVI. A.C. 1552.
 multæ nomine exacta: dum vero Augustæ Vindelicorum, cui urbi Cæsar
 duntaxat quatuor peditum centurias im-
 posuerat, quamdam muri partem casu
 dejectam, fossamque ruina oppletam
 fuisse intellexerant Fœderati, illuc die
 ultima Martii cum copiis suis conti-
 nuato itinere contendunt, ac postera
 die prima Aprilis circa meridiem Au-
 gustam pervenientes, cives ad validam
 urbis defensionem paratos invenerunt,
 quamvis enim annonæ, bellicique ap-
 paratus copia non nisi ad quindecim
 dies instructi essent, Cæsarem tamen
 prompto auxilio haud defuturum spe-
 rabant.

§. LXXIII.

*Augusta Vindelicorum a Fœderatis
 obsessa, captaque.*

Priusquam Fœderati urbem tota tor-
 mentorum vi quater inciperent, Chytr. Saxon. l. 17. Sied. l. c.
 cives ad ultroneam deditionem provo-
 cabant, oblatis conditionibus sat pro-
 ficuis, quas autem cum præsidariū ac-
 ceptare recusarent, obsidioni initium
 datur, ac quinto post die, cum cives
 resistendo impares essent, deditionis
 pacta conscribi postulant. Ergo quan-
 tocius a tormentorum explosione ces-
 satur, Hist. Eccles. Tom. XLI. B b

Sæcul. XVI
A.C. 1552.

fatur, & feciales ab Augustanis submissi audiuntur, eisque pacta admodum honorifica conceduntur, eoquod cives Augustani ejusdem Nationis essent, cujus oppugnantes erant.

§. LXXIV.

Fæderatorum molimina ad expugnandum Oenipontum.

Eo tempore Imperator Oeniponti gravibus podagræ doloribus laborans nonnisi familiares suos, ceterosque Proceres, quos officii sui ratio eo vocabat, secum habebat; percepta igitur tam subitæ conspirationes notitia vehementer perculsus tanto majori admiratione afficiebatur, quo minus clandestina ejusmodi consilia, priusquam in apertas erumperent flammæ, in se cudi sibi persuadere poterat, quamvis jam antea sæpius de conjuratorum machinationibus fuisset admonitus. Imo etiam tunc majores hostis progressus sistere a deo non erat sollicitus, ut vix de belli apparatu cogitaret, spe fretus, hanc conspirationem brevi dissipandam, aut saltem non eo usque progressuram, ut ejus quoque vitæ, ac securitati insidiæ struerentur. Verum sua eum spes fellit; quippe Mauritius rapido victoriarum cursu multa oppida victricibus

ar-